



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.**

**Lefelon, Antoine**

**Bruxellis, 1675**

§. 1. Juxta S. Chrysothomum peccati jugum difficulter excutitur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9433**

que tantum non est omissus : ad ipsum fortassis provocabit Appendix , quem num. 245. dicit tutius audiendum , & infra aliquoties facit loquentem. Ego aureum os ejus veneror , non solum ob dicendi copiam , sed maximè ob doctrinæ ubertatem. Quanquam tamen adversus tales ac tantos ejus Collegas, quos hætenus protuli , si fortè aliter saperet , non facilè dixerim , tutius audiri : sed absit , id de tanto viro suspicer , & in hæc parte ipsum à cæteris Ecclesiæ Proceribus arbitrer dissentire. Adhuc nobis scriptis suis loquitur , ipsum adeamus & audiamus.

## §. I.

*Juxta S. Chrysothomum peccati jugum difficulter excutitur.*

**D**Ixi ex S. Bernardo , difficilem rem esse susceptum semel peccati jugum cervicibus excutere , dicit & Chry- *Homs. 87.* sothomus : *Cùm enim semel quasi vinolentiâ in Matth. vel insano furore oppressa sit ratio , difficillimum est respiscere , nisi generosissima sit anima , quæ opprimitur : periculosum certè , periculosum , inquam , est , perniciosissimis his passionibus locum concedere , quare oportet omni pacto rejicere ingressum*

gressum ipsarum, atque repellere: nam si comprehenderit animam atque superaverint, tunc sicut ignis ingentem ac siccam nactus materiam, maximam solent flammam accendere. Quare rogo atque oro, omnia faciamus, ut quasi macerâ excludamus à nobis harum ingressum.

## §. II.

Juxta S. Chrysothomum, diaboli jugo sæpius consentiendo, fit ipse quasi intolerabilis.

**D**ixi ex Gregorio pravæ diaboli suggestioni sæpius consentiendo, illum nobis ad resistendum fieri quasi intolerabilem, dicit & Chrysothomus:

*Hom. 22. in Genes.* Grave enim, grave est, dilecti, capi laqueis diaboli: anima enim postea quasi in retibus comprehensa trahitur, & sicut sus in luti volutabro oblectatur; sic & ista à mala consuetudine obruta, ne sentit quidem peccatorum factorem: ideò opus est, ut sobrii & vigiles simus, ne ab initio diabolo ingressum concedamus, ut ne dum obtenebrata fuerit nostra ratio, & excœcata mentis perspicacia, faciat quasi privato hujus solis lumine, ne valeas in radios Solis justitiæ contueri, & ita præceptis feraris.

## §. III.